



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXXVIII. Cur matrimonia abortibus contristentur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

haud diu postea, cum matre è vita decedentes, in eadem simul vna, tumulati sunt, in Monialium ordinis S. Bernardi monasterio Loduno, non procul ab Haga Hollandiæ vico maximo, vbi hoc Epitaphium illis est positum. *Illustris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantie, fratrem quoque habuit Gulielmum Alamanni Regem. Hac præfata Domina Margareta, Anno salutis millesimo, ducentesimo, sexagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die parasceves, hora nona ante meridiem, peperit infantem viri nos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor; qui, postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, presentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quædam baptismi sacramentum percepissent, & masculus Ioannes, famulis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul, cum matris anima ad Deum æternaliter victura, redierunt: corpora autem, sub hoc saxo requiescunt.* Sicut ergo sterilitas & poena, esse potest, & beneficium Dei, ita potest etiam fertilitas partum non tantum eiusdem esse donum, verum diuinæ quoque vindictæ monumentum. Optimè igitur faciunt, qui in vtramque partem contenti Conditozem laudant, seu dantem liberos, seu negantem.

## C A P V T XXXVIII.

*Cur Matrimonia abortibus contriscentur?*

L

**R**

Langebant piæ mulieres Christum, cum cruce ornatum in supplicij locum exiret; ad quas ille conuersus, iubebat eas super se ipsas flere, & super filios suos.

Luc. 23.29.

Causam adiiciens dicebat: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, que non lactauerunt.* Quod vel ad obsidionem Hierosolymitanam,

Matth. 24.19.

vel ad extremi iudicij tempus pertinebat, quemadmodum & illud: *Va pregnantibus & nutriendis in illis diebus.* Sed profectò potest etiam appositè, reliquis temporibus accommodari. Sæpe enim tantis pregnantibus & nutriendis malis afficiuntur, vtpalam beatas vocent steriles, quæ non genuerunt. Nam etiam conce-

conce-

conceperint, quantæ mox sequuntur cruces? abortus, vteri molestia, partus, mors prolis intempestiua, suspicio patris alieni, seductio, confortia mala, inobedientia, rebellio, alea, comperationes, scortationes, & mille dedecora filiorum: & quanto meliores sunt parentes, tantò illis ægrius facit, si malos liberos fortiantur. Frequentissimum enim est, vt filij filiaue degenerent. Nec sanè ex malo coruo duntaxat malum nascitur ouum, sed etiam ab equo saepe generatur mulus. Admo sius natus est Cain; Noëmo sius ille Cham; Abrahamo Ismael; Isaac pilosus Esau; Iacobo Ruben. Quin & Dauid filium habuit Amnon incestum, & rebellantem Absalonem. Nonnè his fatius fuisset, caruisse filijs, quàm in illis genuisse fratricidas, aut patris irrisores, contemtores, persecutores? Ita, si vel maxime sterilitas à matrimonijs abesset, tamen alia complura mala pullulant inde, querelis obnoxia. Negari hæc non possunt; sed, indicta causâ, non damnandus est author matrimoniorum; qui si sexcenta incommoda permittit, mille habet causas eorum permittendorum.

Atque vt intempestiui partus originem indagemus, saepe eius causa est natura deficiens; saepe mater efficiens; saepe Deus puniens, aut ad bonum aliquod impellens. Natura, quæ non rarò in ceteris animantibus impeditur, ne ad finem suum peringat, cur in homine sit immunis? Inter apum morbos numerant, cum fauos non expleat, cleron vocant. Idem blasphemiam, si fatum non peragant. Est in calo, qui vocatur lacteus circulus. Huius defluuium, velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescunt, duorum siderum obseruatione, aquila, in septentrionali parte, & in austrina canicula. Horum siderum diebus, si purus atq; mitis air genitalem illum lacteumq; succum transmisit in terras, lata adulescunt sata. Si Luna roscidum frigus asperfit, admixta amaritudo, vt in lacte, puerperium necat. Certa obseruatio est, vno anno, plures fieri, quàm altero, abortiones. Siderum ea iniuria est, quæ dum rebus alijs profunt, herbis & frugiferis terris minùs sunt benigna. Et prodest vniuerso, alia alijs annis meliùs provenire. Neque eadem stellarum positura potest rebus contrarijs fauere, Debuerant in tanta rerum varietate omnia omnibus,

II.

Plin. l. ii. c. 19.

Idem. lib. 18.  
cap. 29.

Sap. 7. 30.

Psal. 38. 6.

Gen. 3. 19.

bus, non singula singulis prodesse. Hæc est, in Mundo, discordia, & discordia concors; qui Mundus quemadmodum habet principia rerum producendarum, ita debet & habere earundem finiendarum. Nihil nasceretur, si nihil interiret. Desinerent existere mutationes, nisi ortus & interitus vices alternarent. Diuinæ sapientiæ consilio, soli succedit æstas, hyemi ver & æstas. Denique *unius corruptio, est alterius generatio*. Quæ disponere, & per secundas causas, est supremi Gubernatoris, qui apud se *mensuratos habet annos, menses, diem, & horam vita*, in qua quisque cedere debet, & locum dare successoribus: siue natus, siue non natus. De terra sumus, in terram omnes debemus reuerti.

*Serius, aut citius metam properamus ad vnã.*

## III.

Quod si verò quis, ob hæc, naturam accusat, cur eam non vicissim laudat, ut quæ non solum, aduersus sterilitatem, verum etiam ad abortum cauendum tot remedia suppeditauit? Immo cur non accusat ipsos parentes, & matres, ipsa Medea crudeliores, quæ sua culpa tot abortus & faciunt & patiuntur? Non enim tacebo de ijs, quas carnifex sui esse juris ait, quæ, ut virgines putentur, nõrunt quid edere, vel bibere debeant, ut

Exod. 21. 23.

fatum in utero occidant, aut omnino sterilefiant. *Si rixati fuerint viri, ait vetus lex, & percusserit quis mulierem pragnantem, & abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint*. Ad eam etiam casus non fuit impunitus. Quid malitiæ debebitur? In

L. si quis aliquid § Qui abortionis ff. de Pœnis.

civilibus legibus ita Paulus decernit. *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, et si dolo non faciant, tamen quia mali exemplum res est, humiliiores in metallum, honestiores in insulam, amissa bonorum parte relegantur*. Quod si eo mulier, aut homo perierit (intel-

S. Hieronymus ep. 22.

lige fœtum jam animatum) summo supplicio adficiuntur. Grauius SS. PP. loquuntur. D. Hieronymus: *Sterilitatem, inquit, præbunt hodie, & nec dum sati hominis homicidium faciunt*. Affonat

Tertull. ad-uicifus gent.

D. Augustinus, cuius hæc sunt: *Nulla mulier potiones ad abortum accipiat, nec conceptos natos occidat. Quæ mortiferas potiones accipit, ut non concipiat, quanto scunquæ parere potuisset, tantorum homicidiorum est rea*. Pressius Tertullianus: *Eriam conceptum ad-*

huo

*huc in utero, inquit, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci. Nec refert natam qui eripiat animam, an nascentem disrumpet. Homo est, qui futurus est, etiam factus jam omnis in semine.*

Neque opus est, tantos citare Patres, ad eam hęc res barbara, immanis & naturę inimica est, ut vel ipsi eam Ethnici sint extremę detestati. Neque verò juris Consulti tantum, sed etiam medici, sed historici, sed oratores, sed poëtę contra hanc pestem calamum & linguam strinxerunt. *Abortivum dare, inquit ille, nulli unquam fas est. Vi enim Hippocratis testatur oratio, tam duri reatus conscientia medicorum innocens officium non debet maculare.* Immo Hippocrates juramento Medicum cavere voluit, ne cuiquam abortivum (Gręcis ἀμβλαβιδιον) daret. Ammianus Marcellinus acriter infestatur Eusebiam, ob hoc scelus, quod scilicet Helenam sororem Constantij Iuliani Cęsarıs coniugem, Romam specie affectionis ductam, venenum bibere, per fraudem illexerit, ut quotiescunque concepisset, immaturum abijceret partum. Nam & pridem in Gallijs, cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, ut obstetrix corrupta mercede, mox natum præfecto, plus quàm convenerat, umbilico, necaret. Tanta tamque diligens opera navabatur, ne fortissimi viri soboles appareret. Sed Oratorem audiamus. Cicerone enim, in Cluentiana, laudat iudices, qui Milesiam quandam damnarint, quod, accepta ab hæredibus secundis pecunia, sibi ipsa medicamentis partum abegisset; additis rationibus, quod improbè fecisset, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familię, designatum Reip. ciuem sustulisset: itaque pecuniam illam acceptam, non solutionem legatorum, sed mercedem abortionis esse appellandam. Ipse Quidius in tales exclamat:

*Que prima instituit teneros auellere fetus,  
Militia fuerat digna perire sua.  
Si mos antiquus placisset matribus idem,  
Gens hominum vitio deperitura fuit.  
Scilicet ut careat rugarum crimine venter,  
Sternatur pugna tristis arena tua.*

P p p

Vestra

IV.

Theodor.  
Priscian. ad  
Victoriam  
lib. 3.

Cic. orat.  
pro A. Clu-  
entio.

Ouid. lib. 2.  
eleg. 14.

*Vestra quid effoditis subiectis viscera telis,  
Et nondum natis dira venena datis?*

Obseruant nonnulli, diuina Nemeli, instissimò que iudicio, eas ipsas frequenter matres necari, aut graue corporis perpeti detrimentum, quæ venenum transmittunt, ad factum à se expellendum. Ita, iuxta illud: *Qui fodit fontem, incidit in eum*, vna hæ noueræ veriùs, quàm matres, cum filijs, in sepulchrum inferuntur, quàm filij sui, vtique morte digniores: quibus tam diris cur venenum parceret, ingenij sui oblitum, quod innocentes è medio tollit, in medio earum jacentes? Itaque nec apio, nec hedera coronandæ sunt, quæ apio, aut hedera, in naturæ ignominiam, vti didicerunt.

V.

Quare mirari satis non possum, Aristotelem vsque ad ob politicæ, & moris Græci studiosum fuisse, vt obliuisceretur naturæ. Nam vbi docet, felicitatem ciuitatis, in amplitudine atque multitudine hominum, non consistere, sed attendendum, ne quid desit, vel supersit, venit in eam quæstionem, quæ est de numero liberorum, non nimis augendo; ostenditque, quid sui iudicij sit, de more veterum Græcorum, quibus licebat exponere necareque liberos, si eos alere noluisent. Neque enim ea illis res fraudi erat. Cuius inhumana consuetudinis plene sine fabulæ Comicoꝝ & Tragicorum. Fert igitur Philosophus primò hanc sententiam: *De exponendis autem liberis & alendis, sit lex, Nihil mancum debileq, alere.* In quæ verba Victorius sic commentatur: *Nullò pacto vult orbatum sensu, membroq, aliquo corporis, vsibus humanis necessario, siue pluribus, ali. Quod probabat antiquitas, quia hi Reip. utiles nullam in partem sunt (nolenti autem multis modis ceteris) sed etiam quia illi ipsi nullum verum fructum vitæ gustant. Consuetantur autem necessario multis miseris. Nostra pietas Christiana hoc sustulit, tantumq, concedit monstræ extingui, & partus, qui magis belluæ, quàm hominis speciem referunt. Certè Christus debiles & claudos, & vnum oculum habentes ad cælum admittit: & vult nos, miseratione horum, cælum promereri. Quemadmodum olim accesserunt ad eum turba multa, habent & secum mutos, cacos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Quare Christo repugnat*

Prou. 26. 27.

Aristot lib. 7.  
Polit. c. 16.

Matth. 18. 8.

Matth. 15. 30.

repugnat ferinus mos ille Græcorum, in hominibus inutilibus è Rep. remouendis. Nec Christo tantum, sed etiam Christianis, qui Nosodochia, Xenodochia aliasque eiusmodi domus in hunc finem ædificant, vt in illis eiusmodi miserabiles homines alantur, hoc ipso sunt vtilissimi, vt habeant, erga quos exerceant charitatem, quam excluderunt, quorum lex fuit: *Nihil mancum debileq; alere*. Si sic omnis Resp. ageret, quò tandem isti deberent portari, si paruuli sunt, nisi vt lupis pabulum essent! aut, si adultiores in similem corporis defectum incidissent, quò eos oporteret migrare, nisi in extremas solitudines, bis miseri, & quia debiles, & quia, ipsi fame confecti, famem explerent belluarum, dentibus earum laniandi ac deuorandi? Iam alterum modum, paulò subtiliùs, & in speciem mitiùs, re ipsa autem impiè præscribit Aristoteles, quo caueri possit, ne in Rep. ciuium numerus turbam numerumque conuenientem excedat.

*Propter multitudinem autem liberorum, inquit, si ordo gentium uenerit (multitudinem) lex sit, nihil exponere eorum, qua genita sunt, definitam enim esse oportet multitudinem procreandorum liberorum. Si autem aliquibus præter hæc copulatis exortum fuerit (seu si coniugibus plures liberi, quàm legibus definitum sit, nascantur) antequam sensus & vita existat, abortum eò importare oportet. Sanctum enim, & non sanctum definitum erit sensu ac vita, id est, fetus antè quam sentiat & uiuat, si opprimatur, nihil peccatur, quia tum nec homo, nec animal dici potest: quando verò iam sentit, & uiuit, sine crimine id fieri non potest. Ne ergo soboles nimis crescat, in illis locis, vbi lege interdictum est, ne quis pater alat plures liberos, quàm statutum sit, non probat Aristoteles expositionem necemque eorum, qui, sine corporis defectu, procreati sunt; sed fatius esse putat, huic malo prius remedium adhibere, & antè, quàm editi sint in lucem, vt in utero matrum, perdantur; eo tamen discrimine adhibito, vt non omnis abortio, sed illa duntaxat, quæ conceptui liberorum propinqua est; & priùs, quàm sensus vitæque participes fiant, procuretur. Hæc mens fuit Ethnici Philosophi. Paulo mitiùs Plato, Si plures generentur, inquit, vel isti supernumerarij diuidantur inter eos, qui liberos non habent, vt eos adoptent, vel co-*

tonis deriuentur, vel prohibeatur procreatio. Hæc isti. Aliter Christiani. Quamuis enim teste Nonio, abortus ille dicendus sit, qui est in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est, abortus prope tempus pariendi; atque etiam Iurisperiti, & communis opinio rectè crimen maius censeant, si foetus expellatur jam animatus; culpa tamen grauissima etiam est, abigere foetum inchoatum. Quare merito suprâ citatus Tertullianus ait: *Etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam qui eripiat animam, an nascentem disturbat. Homo est, qui futurus est, etiam factus omnis jam in semine.*

VI

Nullam itaque defensionem habent istæ Medæ, quæ quia ortum prolis habent, vel pudore, vel timore, exosum, faciunt abortum; nec verentur veneno occidere, cuius morte mortem merentur. Quarum sanè mulierum longè maior est numerus, quàm existimetur. Nam etsi multæ nec ferro utantur, nec malum venenum faciant, ut vel uterum ante tempus exonerent, vel quod neaturum profuderunt, interimant; plurimæ tamen sunt, quæ multis alijs modis prolem intra viscera sua occidunt. Quædam, ubi se gravidas sentiunt, ita delicate desident, ac si nefas esset surgere de sella, aut è lecto pedem efferre; vel, si ambulant, ita ambulant, ac si Iunonis sacra ferrent. Atqui torpor iste foetui nocet. Quemadmodum & ira atque exardescencia matris, quæ in prolem, per biliosum nutrimentum, redundat. Aristotelem audiamus: *Oportet autem, ait, & pregnantibus curam gerere corporum non desidia deditas, neque alimento tenui utentes. Hoc autem facile erit legislatori prestare, si iusserit, ut singulis diebus iter quoddam faciant, ad cultum Deorum, quæ sunt nata honorem, ut opem ferant generationi: mentis autem contra atq; corpore, sedatiùs remissiusq; degere conuenit, apparet enim, quæ gignuntur, ad se ducere non parum ab ea, quæ in utero habet, pariter ac stirpes è tellure. Hæc magnus Philosophus, qui duo præcipua, vel tria vitia perstringit, earum, quæ, licet liberos & hæredes optarent, tamen liberos ipsæ destruunt. Primum igitur est magnis illis Iunonibus probè inculcandum, quæ nimium cauendo nimium nocent; quia enim Varro monet, uterum se-*

Aristot. lib. 7.  
Polit. c. 16.

Varro l. 2. de  
re Rust. c. 4.

reni



renti cauendum, ne, dum exilire velit, pragnans abortet, aut quia audiunt, multas, dum grandia pondera sustulerunt, dum duas, tres, quatuor horas, instar Baccharum, saltando, vires attenuarunt, in tempestiue peperisse; ipsæ in contrarium stultæ, ita lecto, vel lecticæ affiguntur, vt plerumque jaceant, vel sese moueant instar cochlearum, passusque oannes numerent. Aristoteles vult, vt *singulis diebus iter quoddam faciant*. Quis iter vocat, ascendisse per scalas? & tamen vel hoc detrectant quædam. Ita dum corpus non exercent, necessariò *excrementorum plena sunt, quæ res obest valde ipsi, quos in utero habent*. Et quidem rusticorum vxoribus hinc nullum est periculum, neque feminis, labore se familiarique sustentantibus. Dominae, Cleopatra illæ, & quæ pompis gaudent, stolatæque solent vocari, hinc sese matres factas ostentant; atque vt sciantur portare, sese portari sinunt. His ergo Philosophus, ex veteri quidem more, per legum latores, præscribi vult, vt, *singulis diebus, iter quoddam faciant, ad cultum Dearum, quæ sunt nacta honorem, vt opem ferant generationi*. Quod sanè, quia ad falsas Deas iter instituebatur, merito potest dici, fuisse supersticiosum, non solàm à Nausistrata aliqua Terentiana, verùm multò magis ab homine Christiano. Sed Christianæ feminæ alias veras Diuas & Diuos habent, ad quas, *singulis diebus iter quoddam faciant, ad cultum earum & earum, quæ sunt nacta honorem, vt opem ferant generationi*. Et sanè vidi Principes feminas, quæ id factitarent; immo, quæ longa itinera susciperent, laborem nullum nullamue fatigationem refugientes. Hoc igitur primum est.

Alterum est, vt *alimento tenui utens*, vires non debilitet, neque corpus extenuet, aut laxet, quæ est pragnans. Magna est talibus, apud viros, licentia, qui putant eis nihil negandum, quod petunt: quasi in illis appetitus sit mensura sanitatis. Iraque fungos, boletos, tucetaque crassa, limum, lateres, testas, & quid non vorant? Scio imaginationi subinde aliquid dandum, sed ordinarius tamen cibus debet esse solidus & temperatus; ne nimis crebro, & ferè singulis horis comedant; ne cibum super cibum iniiciant, ventremque farciant, ac priore alimento nondum concocto, alterum stomacho obtrudant, caloremque

VII.

lore m̄que natium obruant. Vnde indigestum quoque & crudum alimentum ad foetum deriuari sit necesse. Quaedam ita saginant sese, vt nescias, quid de ijs sit censendum, pinguis vocare debeas, an praegnantes? Abdomini natus, an natus daturus? Profecto antiquum illud experientia confirmat: *Steriliora cuncta pinguis, & in maribus, & in feminis.* Quare, non opus est, ad interimendam in utero prolem, haurire quassitum, apud Pharmacopolas, venenum, quotidianus istis cibis in venenum vertitur; quemadmodum & potus. Citatur à Nonio Marcello Varronis locus pro Cellio, vel Fundanio, de admirandis rebus, his verbis. *Vinum quod tibi natum sit, in quodam loco, si praegnantis biberit, fieri vt abortiatur.* Neque huic duntaxat vino inest haec vis. Omne vinum, & vel maxime generosa illa ex Hispanijs, Creta, & calidioribus vineis petita, dum nimium siccant, vel matres steriles, vel prolem faciunt abortiuam, si auidius intemperantiusque bibantur. Noui feminam, quae Massico delectata, quinquies abortum eiecit; postquam autem illud, consilio medicorum desijt bibere, coepit parere. Itaque *in vino luxuria est, & fertilitas vitiorum, non liberorum.* *Va, igitur, qui consurgitis mane ad ebrietatem sellendam, & potandum usque ad vesperam, vt vino esuetis.* Vituperabilis est ebrietas, in omni homine; quia sopit rationem, quae hominem à pecude discriminat: sed in femina etiam detestabilis est; quippe in ea, cum ratione, etiam extinguit pudorem, & fertilitatem. Quae non ex inuidia sexus à me dicuntur, sed vt ostendam sterilitates & abortus non trahendos esse, ad naturae Authorem accusandum; cum praecipua causa sint ipsi, qui de sterilitate conqueruntur.

Plin. lib. 11.  
Nat. hist. c.  
37.

Ephes. 5. 18.

VIII.

Nam tertium est, quod Aristoteles obseruat, in praegnantibus; ex cuius praescripto, eas mente, contra atque corpore, *si diu remissiusque degere conuenit.* Apparet enim, ait, quae gignuntur ad se ducere non parum, ab ea, quae in utero habet, pariter ac *stipes à tellure.* Quamobrem, sicut, quae parere feliciter volunt, corpus debent exercere, ita etiam oportet eas animum habere tranquillum vacuumque à molestijs ac sollicitudine. Obest enim magnopere foetui, labijsque non parum affert, in

quarta

quem aliquid curarum ac molestiarum matris penetrat. Itaq; ægri tudines ac molestiæ longè pellendæ sunt à mulieribus veterum ferentibus, præsertim cum iam partui propinquæ sunt; operaque potiùs danda, vt hilares sint ac iucundè viuant. Ita enim, vt è bona gleba, bonus fructus nascetur; quemadmodum prolem quoque afficit matris ægri tudo. Audiant hoc tristes, & quauis causâ irascentes Megæra; audiant mariti, qui prægnantes identidem contumelijs affligunt, & conuitijs verberant; nec rarò calcibus feriunt. Quis tunc foetum occidit? quis procurat abortiõnem? Deus, an parentes? Profectò ipsi parentes, qui & subitis terroribus, filium maturitatis incidunt; & sæpe etiam multa sibi imaginando, alijsque rebus, præsertim feminae, intempestiuum partum, exturbant: quarum perturbatio maxima est, nolle lac præbere ijs, quos genuerunt; nolle molestias pati infantium; rugas cauere, timere dolorem partus. Ob quam rem, apud Satyricum, faminae diuites & delicatæ carpuntur; & hæc causâ ipsa indigitatur:

*Quod iacet aurato vix ulla puerpera lecto,  
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,  
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos  
Conducit.*

Juuenal.  
sat. 16.

Quod posset sanè multis etiam alijs exemplis ostendi. Nam quædam plantas nõrunt; quædam odoribus fugant, quod metunt; quædam, ne virginum gracilitatem amisisse videantur; ita ventrem atque latera arctè constringunt, vt necesse sit, foetum suffocari. Denique ferè tot sunt infantum occidendorum modi, quot ingenia perfidarum: quæ meritò possunt, cum Herode comparari; immo illius immanitati etiam anteferri. Herodes enim natos occidi iussit, illæ occidunt nondum natos: Herodes pueros duntaxat interemit, illæ pueros simul & puellas interimunt: Herodes eos mactauit, *qui erant in Bethlehẽm,* & in omnibus finibus eius; illæ in toto orbe, hoc crimè patrant; Herodes infanticidia non sua, sed satellitum manu peregit; illæ sua manu, non aliorum, sed suos filios filiasque è vita exturbant. Quid ergo mortalium stultitia hîc tacet? cur non has mulieres ad hominum tribunal rapit, aut vocat ad diuinum?

Matth. 2. 16.

Quanquam

IX.

Quaquam & Deus ipse mille causas habet, ut matres patresque puniat abortu filiorum. Vivit pater intemperantissimè; nulla illi est cura Numinis; nulla solida pietatis; sibi vult exactissimè seruire; Deo nec ipse seruit, nec sinit seruire suos; è templo facit locum confabulationis; è domo Dei, speluncam latronum; denique totos dies non cogitat, nisi vanitatem; & miratur, si sibi non datur filius, aut si vxor parit antè, quàm sit paritendum? Clarum hinc apponam diuinæ maledictionis exemplum, quod, in celebri quadam Germaniæ ciuitate, accidisse, non solum certis testibus accepi, sed ab illis ipsis audiui, quibus accidit. Par coniugum conuenerat nominatis parentibus ortum. Habebant in abundantia opum, & deliciarum. Maritus antiqui moris, neque fallacijs septus erat. Vxor sedula & laboriosa. Citò post nuptias, venerat in spem hæredis acquirendi. Altero enim mense vterus tumescebat. Sed non durauit ea spes diu. Tertius enim mensis vix abierat medius, cum & conceptus ex vtero fructus abiit. In luctu fuerunt parentes, sed paulo post eum luctum noua spes pepulit, vtero demum crescente. Verùm & hæc latitia non perseuerauit nisi ad mensem quartum. Eo misera mulier secundam passa est abortionem. Postea & tertiam. Deinde & quartam, semperque tardiorè ac difficiliorem. In quinto tandem abortu, penè interijt, mortuo grandiore puero edito, per ingentes cruciatus. Euasit tamen ex hoc quoque naufragio. Vbi tabulas collegit, & ad vires redijt, apud varios medicos, videns se diu frustra remedium quæsuisse, animæ medicum adiuit, à quo ad me adducta. Ego, cum quærerem, an non meminisset se, in aliqua re, Dei iram meruisse, intellexi, illam aliquando Concionatoris oratione incensam, puellari feruore, voto se se castitatis obstrinxisse: quo nondum soluta, nupsisset. Suasi, ut dispensationem peteret. Ea impetrata, postea feliciter enixa est, neque vnquam ampliùs, in partu periclitata. Quis neget, hinc Deo causam fuisse sufficientè, ut liberos huic famina negaret: eamque sineret cruciari? Non decet virgines Deo sacratas parere. Meritò igitur experta est, quid sit, fidem caelestis sponso datam violare.

insuprabu

Habet

Habet DEVS & alias abortus permittendi causas. A-  
specto, in transitu, aliquando homine à natiuitate cæco, Chri-  
stum interrogauerunt discipuli eius: Rabbi, *Quis peccauit, hic, aut*  
*parentes eius, ut cæcus nasceretur?* Respondit IESVS: *Neque hic*  
*peccauit, neque parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo.*  
*Alia nempe est percussio, ait S. Gregorius, qua peccator percutitur,*  
*ut sine retractatione puniatur; alia, qua peccator percutitur, ut cor-*  
*rigatur; alia qua quisquam percutitur, non ut praterita corrigat,*  
*sed ne ventura committat; alia per quam nec praterita culpa corri-*  
*gitur, nec futura prohibetur; sed dum inopinata salus percussione*  
*sequitur, saluantis virtus cognita, ardentius ametur.* Quantos vi-  
dimus, qui, ad exemplum Abrahamæ, aliorumque, post longissi-  
mam hæredis acquirendi expectationem, filios adepti, Deo  
Diuisque longè ampliores gratias, retulerunt? Immo quàm im-  
pensissimè rogauerunt, ut, sublato impedimento, liberos adi-  
piscerentur. Quem in finem etiam abortiuos gigni sequens hi-  
storia docet, Eutychie Constantinopolitani Episcopi virtutem  
illustrans.

Erat in vrbe Amasea quidam Androgynus legitima uxore co-  
pulatius: qui cum filijs procreandis, operam darent, ita frustraban-  
tur, ut infantes, ante, quam è ventre exirent, immaturi præriperen-  
tur; ex quo parentes ipsi magno mœnore afficiebantur. Quid igitur  
faciunt? Vtile consilium capiunt. Confugiunt ad Deum, qui mor-  
tuos etiam potest per seruos suos, in vitam reuocare. Imitantur vi-  
duam illam Sareptanam, cuius filium Elias suscitauit: Sunamiti-  
dem imitantur, quæ cucurrit ad Eliseum, cum filius eius in cornacu-  
lo mortuus iaceret. Confugiunt & ipsi ad beatum virum (Euty-  
chium) supplicantes, ut precibus suis impetret, ne infantes sibi in lucem  
editi, statim moriantur. Quæ cum pro illis precatus esset, ambos vn-  
xit oleo sancto, tum eo, quod è pretiosa cruce, tum illo quod ex sancta  
purag, Dei genitricis & perpetue Virginis Maria nostre domina ve-  
neranda imagine scaturire solet Sozopoli, dicens: In nomine Domini  
nostri IESV Christi. Hæc enim verba, cunctis aegrotantibus, qui ad  
se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodum & S. Iacobus  
precipit, sed non ut in Sacramento. Cum igitur precandi finem fe-  
cisset, & tanquam gratia quadam afflatus taceret: mox, Nomen illi

Q99 (inquit)

X.

Ioan. 9. 2.

S. Gregor. l. r.  
Moral. c. 6.

XI.

Cæf. Baron.  
tom. 7. An-  
no 564.

(inquit) Petrum imponetis, & uiuet. Erat enim mulier gruida. Cum autem ego adessem & respondissem: At si feminam, inquit, pariet, ecquod illi nomen imponent? Minimè, inquit, sed Petrum uocabunt, & saluus erit. Quibus uerbis gaudentes, tanquam puerum nondum natum in utris gestarent, domum reuersi sunt. Tempore jam impleto, peperit filium, quemadmodum ante uiderat, & predixerat seruus Dei. Quem cum baptizandum curassent parentes, & nominassent Petrum: postea unà cum ipso ad virum sanctum accedentes, complexi sunt pedes eius, & confessi sunt, quæ sibi fecisset Deus, & quod sui miserus esset. Impositis autem puero manibus, et sanctus benedixit ei. Sed cum crenisset ille, qui ex præcognitione & precibus genitus fuerat, alter natus est illis. Itaque uenientes rursus, ambos filios ad sanctum virum attulerunt, laudantesq; Deum rogabant, quo nomine postremus deberet appellari. Qui geminos filios ueritus, illud Salomonis uenuste usurpauit: FRATER QUI COADIUVATVR A FRATRE, QVASI CIVITAS FIRMA. Parentibus autem illorum dixit: Ioannem hunc appellabit is: quoniam in ade sancti Ioannis preces uestras Dominus Deus audiuit. Hac Eusebius, qui his omnibus præsens aderat. Apparet igitur, ex hac historia, Deum, per abortus, parentes excitare, ut piorum preces implerent, atque ita & illi inuentur, & isti illustrentur. Olei quoque sacri & reliquiarum uirtus de cælo accepta hinc fit manifesta. Quin & illud ostenditur, Diuos, in quorum templis orationes funduntur, & ipsos suas orationes addere. Neque enim alia de causa S. Episcopus parentibus his dixit: Ioannem hunc appellabit is, quoniam in ade S. Ioannis preces uestras Dominus Deus audiuit. Monentur denique omnes, qui à Diuis beneficia accipiunt, ut gratias reddant. Idcirco enim hunc puerum Eusebius uoluit Ioannem appellari, ut quoties nominaretur, toties beneficij accepti admoneretur.

Prou. 18.

50

CAPVT